



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die vigesima septima Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Augusti 25.

NATALES

se dedit pietatis officijs: nam multa ædificauit & monasteria, & pauperum hospitia: beneficentia egentes subleuabat; frequens uisibat ægrotos: quibus ipse non solum suis sumtibus omnia supeditabat, sed etiam quæ opus erant manibus ministrabat: vestitu vulgari utebatur: cilicio ac ieiunio corpus assiduè affligebat. Sed cum iterum transmisset, bellum Saracenis illaturus, iamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam; adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Eius corpus postea Lutetiam Parisiorum translatum est. Ipse, clarus miraculis, à Bonifacio octauo in Sanctorum numerum est relatus.

Hæc autem inter Belgica recenseo, eo quod ex Brabantica Caroli magni stirpe auiam habuerit Elisabeth filiam sanctissimam Comitis Flandriæ & Hannoniæ, per quam ei obtigit magna Flandriæ portio, quam postmodum titulo Comitatus Artesiæ, Roberto fratri, qui in sancta terra occubuit, contulit. Sub huiusmodi autem ducibus magna multitudo Belgarum in castris Domini militabat: nam opera Harlemensium Guilhelmus Comes Hollandiæ sub hoc rege militans, Damiatam, quæ & Heliopolis dicitur, expugnauit.

Die vigesima septima Augusti.

*De sancto Elmero, patrono Molhaniensi.*

*Ex literis domini Pauli Thonon, subprioris in Hastier.*

**M**olhaniæ, natalis sancti ELMERI, episcopi & confessoris. Sed de hoc sancto patrono suo, &

suo, & ecclesiæ fundatione, nihil certi aut verisimile habent Canonici Molhanienses. Tumba sancti ostenditur, foris deaurata, sed omnino vacua. Nec quicquam de reliquijs superest, ob crebras bellorum incursiones, expilationes, & direptiones. Habitant enim in finibus Belgij, non procul à Mariæ burgo, duobus milliaribus à Giueto. Hoc vnum constat, ecclesiam ipsam vetustissimam esse, & in diocesi Leodiensi non extremum locum tenere. Vnde à Decano Decanorum Leodij fortassis aliqua de eo, & fundatione ecclesiæ eius cognosci possent, eo quod is omnium ecclesiarum Leodiensis diocesis fundationes conseruare dicatur.

### Vigesima octaua Augusti.

#### *De translatione beati Hermetis martyris Rothnacum*

*Ex Ordinario Rothnacensi, & rescripto domini Laurentij Backereel, Rothnacensis.*

**R**omæ, natalis beati Hermetis. viri illustris, qui, vt in actibus Alexandri Pape legitur, à beato papa baptizatus, cum vxore & filijs, ac sorore Theodora, & cum eo pariter mille ducenti quinquaginta serui eius: vxores quoque & filij eorum, prius ingenuitate ipsis concessa: at non multo post gladio cædente, martyrium est adeptus. Huius corpus Lotharius Imperator Româ attulit, & ad tempus collocauit apud Aquigranum in sancti Cornelij monasterio, villæ Indensis alium locum honorificum præparans. Qui opere imperfecto Pruniæ monachus est effectus, & paulo post obiit. Filius autem Ludouicus, patris voluntatem adimplere volens, asportari fecit ad monasterium Canonicorum de Rothnake anno octingentesimo sexagesimo: <sup>a</sup> Habeturque eius loci fundator secundarius, primarius

*Actus Alexandri,  
3. Maij.*